

MAURUS AGOSTO

DE TULLIOPOLI

## Exordium

Quamquam scriptorum Latinorum opera acerrimo hac nostra aetate studio ac subtilitate antea vix auditā illustrantur, emendantur, perpoliuntur,<sup>1</sup> tamen multo rarius, quam superioribus saeculis, reperias, qui Latine vel loquantur vel scripta poematave<sup>2</sup> condant: cuius rei causa sive in opinione sita est, antiquae illius gentis sermonem diutius ex ore hominum evanuisse, quam ut ad sensus nostrorum animorum exprimendos accommodatus<sup>3</sup> esse videatur; sive in persuasionem, qua ducti plurimi, odio magis quam veritate abrepti, eiusmodi exercitationes, utpote nimis artificiosā ingenii ostentatione stipatas fastidiosius iudicantes, umbraticis relinquere doctoribus nulli dubitant.<sup>4</sup> Huc accedit opinio difficultatis,<sup>5</sup> qua ex re quaerere multi consuerunt, sitne tanti Latinitas, ut eius causa id laboris subeamus.<sup>6</sup> Praeclare igitur de litteris ac de iuventute meriti sunt, qui docendi viam usitatā rectiorem munire omni tempore coeperunt<sup>7</sup> perinde aerumnis permoti et sudoribus iuvenum,<sup>8</sup> qui, quamvis non

---

<sup>1</sup> Series Scriptorum Classicorum Oxoniensis Latina, ut unam e multis memorem, novis subinde locupletatur titulis doctrinā indubitanter onustis. Minorem esse erga recentioris Latinitatis scriptores diligentiam indagatorum conqueritur Christopher S. Celenza, *The Lost Italian Renaissance: Humanists, Historians, and Latin's Legacy* (Baltimore: Johns Hopkins University Press, 2004), pp. xi-xv; p. 13.

<sup>2</sup> Prudens rerum existimator vel uno aspectu et praeteriens facile colliget, cum tempore decrescere numerum scriptorum in indice, ut exemplum afferam, quem sub titulo *An Analytic Bibliography of on-line Neo-Latin Texts* Dana F. Sutton in telo mundano publici iuris fecit. De recentissimis poetis, cf. Dirk Sacré, 'Conspectus poetarum Latinorum 1900-1960: supplementum alterum.', in *Humanistica Lovaniensia*, 51 (2002), pp. 301-310.

<sup>3</sup> Cf. ut exemplum afferam, Incerti auctoris, 'Epigrafia Italiana', in *Biblioteca Italiana, o sia Giornale di Letteratura, Scienze ed Arti compilato da varj letterati*, 50 (1828), pp. 323-324 (pp. 319-336): "ci ha insomma delle cose presso di noi in pienissimo vigore, ai Latini totalmente ignote, le quali perciò non possono rettamente esprimersi in latino che con circonlocuzioni non rade volte viziose. [...] E moltissimi sono gli esempi di siffatta italiana brevità e concisione, e moltissime le cose nostre che trasportate in latino divengono enigmatiche e inintelligibili."

<sup>4</sup> Unum satis sit exemplum afferre depromptum ex oratione aditali a Praeside Academiae Latinitatis Vaticanae, professore I. Dionigi, die 22 Novembris a. 2012 habita: "Penso a certe *Sodalitates* che sfidando il ridicolo e nuocendo alla causa pretendono di recuperare anacronisticamente e sterilmente il latino come lingua viva. No; io sto con Eliot, grande ammiratore della classicità e in particolare della lingua di Virgilio, il quale amava dire che il latino è lingua morta, irrimediabilmente morta e fortunatamente morta, cosicché noi possiamo spartircene l'eredità", *L'Osservatore Romano*, 22 Novembris 2012.

<sup>5</sup> Vulgatissimas opiniones contra Latinitatis studium collegit et refellere conatus est Paolo Araneo, *Saggio sulla origine su progressi e sulla necessità ed utilità della lingua latina*, (Napoli: Angelo Trani, 1815).

<sup>6</sup> Plurima graviter et artificis staterā perpensa exhibet *Una lingua morta per letterature vive: il dibattito sul latino come lingua letteraria in età moderna e contemporanea: Atti del convegno internazionale, Roma, 10-12 dicembre 2015*, Valerio Sanzotta (ed.), *Supplementa Humanistica Lovaniensia* (Leuven: University Press, 2020).

<sup>7</sup> Indicem refertissimum offert Olegario Negrín-Fajardo, 'Fuentes para el estudio del Humanismo pedagógico en Europa', *Revista Historia de la Educación*, 31 (2012), pp. 319-338.

<sup>8</sup> Cf. Matthew Engel, 'Learning Latin – what's the point?', in *Financial Times*, (January 19 2007): "Learning Latin was ghastly. *Hinc illae lacrimae.*" Sed contra, Benjamin Auslin, 'Latin is an essential language for our digital age', in *Financial Times* (January 1 2018) (plura vide apud <https://www.ft.com/content/73f75fb4-da8f-11e7-a039-c64b1c09b482#comments-anchor> [consului: 12.02.20]). Iure meritoque, ut credo, conquestus est olim Harry E. Wedeck,

nihil temporis studio linguae Latinae transmittentes, tamen propter diuturnitatem et difficultatem discendi a tanto scientiarum conditorio gentiumque vinculo nihilo minus arcerentur. In eis verum non defuerunt, quibus admirationi esset, quam de causa, sepositis grammaticis praeceptis et lectione, non sola consuetudine loquendi imbuerentur discipuli et sermonis usu, quam regiam paene viam esse ad linguas vernaculas discendas plane pervidebant. Nullā namque re felicius doceri vel teneram aetatem arbitrabantur quam iucundā exemplorum ratione, ut non modo in scholis sedentes, verum etiam ad omnem animi remissionem ludumque descendentes pueri et audiendo et loquendo in cognitionem Latini sermonis sine intermissione proveherentur.<sup>9</sup>

### **Exemplum Michaelis Montani**

Neque desunt exempla memorabilia puerorum qui solo usu et colloquio mirabilem Latine loquendi promptitudinem nacti sint.<sup>10</sup> In his fuit Michael ille Montanus (1533-1592), Gallus opinator celeberrimus, qui in *Exagiis (Essais)* sive dissertationibus quas Gallice conscripsit, suo hoc exemplo probavit. Pater enim eius in disciplinam filium dedit Germano homini Gallici sermonis inscio, sed in lingua Latina versatissimo, cuius ille operam amplissimo stipendio conduxit. Haerebat illi puer semper in amplexibus neque quicquam in aedibus nisi Latinum audiebatur. Quo factum est, ut sex annos natus ita sine grammatica, sine praeceptis vel plagosa institutione Latinam linguam didicisset, ut tantum sciret, quantum ipsi in ea lingua paedagogi, qui eum miscere suis discipulis non poterant. Nam cum ceteris discipulis thema daretur in linguam Latinam convertendum, illi dabatur Latinum, barbarismis et soloecismis defoedatum, quod ipse in elegantiores sermonem converteret.<sup>11</sup>

### **Tulliopolis**

---

‘The Latin Situation and Some Mediaeval Analogies’, in *The Classical Journal*, Vol. 28, No. 5 (Feb., 1933), p. 337 (pp. 337-346): “No man would dare attack the validity of, let us say, stratospheric experiments if he is confessedly not qualified to do so. Yet this hesitation is not as common as it might be. Every Tom and Dick spring out blithely to attack Latin. It has become a kind of *corpus vile* for every mouthing zany.”

<sup>9</sup> Hac potissimum ratione posse pueros vel insigniter omnis eruditionis et humanitatis inopes doceri censebat, ut exemplum afferam, Conradus ille Goclenius, qui in epistula, quam ad Erasmum Roterodamum pridie Idus Iulias a. 1530 misit, ut de incrementis doctrinae Erasmi Frobenii sibi commissi amicum certiores faceret, id scripsit: “Quid de illo possim polliceri non habeo. Illud apud nos assequetur saltem, ut consuetudine honestissimorum adolescentum quos contubernales habet, exuat agrestem animum, et quotidie Latine tum audiendo, tum loquendo discat Latine loqui.” (*Des. Erasmi Roterodami Opus epistolarum*, P. S. Allen, H. M. Allen, Tom. VIII (Oxford: Clarendon Press, 1934) p. 490.

<sup>10</sup> In hunc finem paene innumera fuerunt colloquia a plurimis auctoribus excogitata ad tirones docendos, quorum collectionem refertissimam facile invenias apud <https://web.archive.org/web/20190405153208/http://www.stoa.org/colloquia/> (consului: 03.03.2020) Perutilem horum colloquiorum lectionem iure meritoque contendit Terence Tunberg, ‘Colloquia familiaria aetate litterarum renatarum scripta ne spernamus!’, in *Nordlit*, 33 (2014), pp. 311-319.

<sup>11</sup> Cf. Michel de Montaigne, *Essais*, I, cap. XXVI (Paris: Gallimard, 1962), 172-173. Cf. etiam F. Gray, *Montaigne bilingue: le latin des “Essais”*, Études Montaignistes, 7 (Paris: Champion, 1991).

Haec fuit profecto causa, cur de collegiis et rebus publicis Latinis, ubi magistri, pariter ac ministri, sub eodem caelo, eodemque quasi tecto constituti omnes, nonnisi Latine, idque tersissime, perpetuo loquerentur, condendis instituendisque viri docti deliberandum interdum putarint. Nempe eiusmodi consilium de emendanda iuventutis institutione per *Civitatem* quandam *Latinam*,<sup>12</sup> luculenter nobis tradit Morhofius (1639-1691),<sup>13</sup> qui illud cuidam incerti nominis Gallo tribuit,<sup>14</sup> a quo evulgatum illud esse adfirmat decennio fere ante suum opus. Cuius ignoti auctoris libellus e Gallico in Anglicanum conversus sermonem longe lateque per manus illius aetatis doctorum volitavit hoc nomine donatus: *An Examen of the Way of Teaching the Latin Tongue to Little Children by Use Alone* (Londinii: F. Martyn, 1669)<sup>15</sup> et multiplices doctorum hominum contentiones suscitavit in utramque partem disputantium.<sup>16</sup> Cuius ego incepti fata cum controversiis inde natis singillatim persequi hīc omittere satius existimo, cum nuper doctā diffusāque relatione<sup>17</sup> enarrata sint. Contentus igitur ero paucis delineare quid potissimum tunc temporis homines docti senserint quibusque usi argumentis eiusmodi consilii vel auctores vel dissuasores fuerint, ut, singulis rationibus aestimatis, quid inde nobis, qui etiamnunc Latinitati eique vivae favemus, rediturum sit supputemus. Cum autem primo de quibus, deinde ex quibus instituatur deliberatio cognoscere oporteat, a summario quodam libri superius memorati initium sumpturus sum, usus verbis illius Morhofii,<sup>18</sup> qui summo studio eiusmodi civitati astipulatus est, utpote orbi literato plurimum profuturae.

Non inepte Auctor ille Regi Galliae suadet, ut talem aliquam Civitatem Latinam instituat, qua sola conversatione Latinam linguam doceantur pueri; fore hanc curam tanto Rege dignam [...] Ego sane ipsi plane adstipulor, et credo, intra 20 annos extrui talem societatem posse, qua omnes etiam opifices Latine loquantur. Seligantur ad hoc opus 6 vel 7 homines, accuratam linguae Latinae notitiam habentes, in quibus tamen si quid forte desideraveris, lectio auctorum facile postea emendabit leves defectus; illi hac methodo informant pauperum hominum liberos utriusque sexus aliquo numero. Hi postea linguā Latinā firmati opificium aliquod discant, qui locum huic exercitio destinatum incolant; ita fiet, ut brevi tempore talis societas adornetur.”

---

<sup>12</sup> Eiusmodi consilii propugnator recentior fuit Michael Maria Olmo, *Otia Villaudricensia. De Lingua Latina colenda, et civitate Latina fundanda, liber singularis. Accedit epistola auctoris ad Barberium Vemars, cum responsione Barberii*, (Toulouse: Douladoure, 1816). Cf. Dirk Sacré, ‘Project: een Latijnse stadstaat 1816-1824’, in *Hermeneus*, 65 (1993), pp. 113-119; id., ‘De Roma Tullia’, in *Vox Latina*, 26 (1990), pp. 38-46.

<sup>13</sup> Danielis Georgii Morhofii, *Polyhistor sive De notitia auctorum et rerum commentarii* (Lubecae: Petri Bockmanni, 1688), II, cap. IX, pp. 417-421.

<sup>14</sup> Incerti auctoris, *Examen de la manière d’enseigner le Latin aux enfants par le seul usage*, (Paris: Jean Coignard, 1668).

<sup>15</sup> Nova impressio: *An Examen of the way of teaching the Latin tongue*, English linguistics, 1500-1800, a collection of facsimile reprints, 206 (Menston: Ashgate, 1969).

<sup>16</sup> De re ultro citroque diligenter cognita disseritur in incerti auctoris, *The Way of Teaching the Latin Tongue by Use, to Those that Have Already Learn’d Their Mother-tongue, in Way od Dialogue*, (London: Noth. Ponder, 1685).

<sup>17</sup> Reimund B. Sdzuj, ‘Tulliolopolis – Das Projekt einer Civitas latina im Spiegel des akademischen Kleinschrifttums um 1700’, in Reimund Sdzuj, Robert Seidel, Bernd Zegowitz (eds.), *Dichtung, Gelehrsamkeit, Disputationskultur: Festschrift für Hanspeter Marti zum 65. Geburtstag* (Wien – Köln – Weimar: Böhlau, 2012), pp. 604-620.

<sup>18</sup> Eodem, quem superius laudavi, loco.

Neque aliter senserat, aliquot decenniis ante, Eilhardus Lubinus (1565-1621), cum in Epistula dedicatoria Philippo duci Stetinensium conscripta suaderet ut coenobium conderetur in quo, quasi quadam in civitate, omnes doctores, magistri, famuli, ministri, culinae etiam cellaeque praefecti, nonnisi Latinā linguā, atque eā purā et Romanā uterentur: in quem locum delati adolescentuli sic linguam illam, sicut olim Romae addicerent, solā consuetudine et conversatione et usu.<sup>19</sup> Cui Comenius non multos obiecit hac ratione erudiri posse. “Certe” – inquit – “vix tot, ut tantis sumptibus res digna videatur. Et quid ergo ceteris fiet interim?”<sup>20</sup> Nec multum moveor argumento ab Eilhardo Lubino adducto, qui quam plurimos sperabat Latine doceri, cum cerneret “lixas et calones et quoscumque cerdones promptius inter culinarias, militares aliasque serviles operas addiscere quamcumque a vernacula sua discrepantissimam linguam, immo duas vel tres, quam scholarum alumnos in summo otio, summā contentione unicam Latinam.”<sup>21</sup> Quin hoc pacto res se habeant in turba lixarum calonumque non equidem negabo. Atqui ego multos calones et mercatores et milites cognovi, qui non modo vernaculas exterarum gentium linguas, verum etiam suum patrium sermonem aequè minus atque alumni scholarum Latinam callērent.<sup>22</sup> Usu enim et consuetudine loquendi fit, ut plerumque fere iisdem cottidie formulis<sup>23</sup> “sermonis usualis”<sup>24</sup> utamur neque iis perfecte absoluteque enuntiatis, cum in omnium dierum vita plurimum intersit quae quisque mente gerat quodammodo adumbrari, eādem oratione proferri tereti et numero cadenti minime omnium referre soleat.<sup>25</sup> Non autem praeclarum est Latina consuetudo loquendi, nisi verba usitata sapienti iuncturā noventur, nova caute introducantur, vetusta cum delectu instaurentur, emendatus denique semper in eā re veterum

---

<sup>19</sup> Epistula legitur praemissa operi c. t. *Novi Jesu Christi Testamenti novae ed. Graeco-Latino-Germanicae interlinearis sive parallelae cum epistola, in qua consilium de Latina lingua compendiose a pueris addiscenda exponitur, studio E. Lubini Pars I* (Rostockii: typis Joachimi Pedani, 1615) [epistula numeris paginarum caret; opus difficile inventu in bibliothecis, forte fortuna hodie facile legi potest in interrete:

[https://books.google.it/books?id=ih5IAAAAcAAJ&printsec=frontcover&hl=it&source=gbs\\_ge\\_summary\\_r&cad=0#v=onepage&q&f=false](https://books.google.it/books?id=ih5IAAAAcAAJ&printsec=frontcover&hl=it&source=gbs_ge_summary_r&cad=0#v=onepage&q&f=false) [aditus recentissimus: 18.04.20]]. cf. etiam Foster Watson, *The English Grammar Schools to 1660: their Curriculum and Practice*, (Cambridge: University Press, 1908), p. 281.

<sup>20</sup> Jan Amos Comenius, *Novissima linguarum methodus. La toute nouvelle méthode des langues*, traduction française par Honoré Jean, Langue et cultures, 37 (Genève-Paris: Librairie Droz, 2005), p. 135.

<sup>21</sup> Eilhardus Lubinus, in eadem, quam superius memoravi, epistula.

<sup>22</sup> Etiam apud veteres Romanos non defuerunt qui, cum locutores patrii sermonis adire possent, tamen quasi quoddam mixtum et paene suum conficerent loquelae genus omnium dierum vitae fortasse accommodatum, at certe a Romanorum consuetudine nimium quantum abhorrens. Cf. James Noel Adams, ‘Pidgins and ‘Reduced’ Languages’, in James Noel Adams, *Bilingualism and the Latin Language*, (Cambridge: University Press, 2003), pp. 93-106. Neque censeo esse quemquam, qui ignoret flosculos Latinitatis Gallicae, quales sunt illi: “capis me pro uno alio”, “vadamus ad pormenandum nos”, “in prandendo non facit nisi lichare suos digitos”, de quibus cf. Louis Massebieau, *Les Colloques scolaires du Seizième Siècle et leurs auteurs* (1480-1570) (Genève: Slatkine Reprints, 1969), pp. 205-244; Preserved Smith, *The Age of the Reformation*, (New York: Holt & C., 1920), pp. 664-666.

<sup>23</sup> Quarum amplissimae collectiones iam apud veteres notae et usurpatae erant, ut docent illa paene innumera *Colloquia* in usum peregrinorum, quorum notissima sunt *The Colloquia of the Hermeneumata Pseudodositheana*, Eleanor Dickey (ed.), *Cambridge Classical Texts and Commentaries*, 49 (Cambridge: University Press, 2012).

<sup>24</sup> Ut Sidonii (*ep.* 4.10.2) verbis utar.

<sup>25</sup> Cf. Leonard Robert Palmer, *The Latin Language* (London: Faber & Faber, 1954), p. 74: “colloquial speech is characterized by its allusiveness, by deictic elements, abbreviation, ellipse, and aposiopesis.” Profecto sic est etiam apud Plautum, de cuius imitatione vivi sermonis cf. *Plautus. Casina*, W. Thomas MacCary, Malcolm M. Willcock (eds.), (Cambridge: University Press, 1976), pp. 23-33.

usus audiatur. Ut loquamur tamen emendate. At, quae est velocitas rerum humanarum, quotus quisque curabit, ut orationis extemplo habitae partes apte et decenter tamquam artus inter se colligentur? In quo tamen omnis Latinitatis pulchritudo sita est, ut hac parte potissimum differat a sermonibus aetatis nostrae, qui vel sententiarum transitiones tacite suggerunt, vel plane omittunt cum brevissimas praecipue sententias (*short sentences*) colant.<sup>26</sup> Sapientis sane viri est in hominum qui nunc sunt consuetudine longinquo squalentem exilio Latinitatem pristinae restituere dignitati; non laudo tamen eos, qui velut corpus postliminio mortis a se animatum iri confidunt, si perpetuo in hunc modum loquantur: “sive sophophonum sive sollerterphonascum est quidvis telephonum gestabile cum functionibus velut machina photographica digitali, navigatro, quadro tactili, Wi-Fi, fascia lata, etc.”<sup>27</sup> Quam ob rem haud suspensio animo assentior doctissimo viro Helgo Nikitinski, qui, celeri nimium, eheu, abreptus fato, in libro quem *de eloquentia Latina* elegantissime conscripsit: “*Non igitur – inquit – in eo laborandum est, ut quam plurimi latina lingua hodie libri symbolaeque scribantur, sed ut quam latine. hoc nisi facimus, in eodem prorsus barbariei luto uolutamur atque ii qui male uernaculis linguis utuntur.*”<sup>28</sup>

Neque hac sola de causa consilium civitatis Latine loquentium condendae ab eruditis plerisque abiectum ac veluti proscriptum est. Vehementissime verum omnium cogitatum illud redarguit refellitque Christophorus Augustus Heumannus (1681-1764),<sup>29</sup> cuius epistolam *de utopiis literatis* in angustum cogere ita conabor, nihil ut magnopere desideretis. Sensit enim Heumannus, cuius sententiae calculum aliqua ex parte addo, optatum condendi aliquam civitatem Latinam, in qua pueri ab omni patrii sermonis commercio exclusi non modo Latine loqui, verum etiam propemodum Latine somnare adsuescerent, non admodum dissimile esse fallaciae qua decepti vel Plato suam rem publicam vel Plotinus Platonopolim animo et cogitatione sibi finxerant ritu vulgi, quod quam speciem laetam mente concepit, illam haud raro etiam oculis subicere plerumque gestit. Consilium autem illud, quod, summā ipsius admiratione, gravissimi quoque homines, Eilhardus Lubinus, Ioachimus Pastorius<sup>30</sup> (1611-1682), Daniel Georgius Morhofius, essent amplexati, non posse suo effectum non carere iudicavit. Negavit enim Heumannus, matribus ac nutricibus posse quemquam persuadere, ut ipsae prius eam linguam perdiscerent, quam perpetuo dein usu et assiduā conversatione infantes a

---

<sup>26</sup> Cf. Caroline Kroon, ‘Latin Particles and the Grammar of Discourse’, in James Clackson, (ed.), *A Companion to the Latin Language* (Hoboken, New Jersey: Wiley-Blackwell, 2011), pp. 176-195.

<sup>27</sup> <https://la.wikipedia.org/wiki/Smartphone> (consului: 10.06.2019).

<sup>28</sup> *De eloquentia latina saec. XVII et XVIII dialogus*, auctore Helgo Nikitinski, (Neapoli: in aedibus Vivarii 2000), p. 19.

<sup>29</sup> Christophori Augusti Heumanni, ‘Utopiae literatae’, in Ch. A. Heumanni, *Poecile, sive Epistolae Miscellaneae ad literatissimos aevi nostri viros*, vol. I (Hala: Renger, 1722), pp. 94-103.

<sup>30</sup> Joachimi Pastorii, ‘De Iuventutis instituendae ratione diatribe’, in *De Philologia, Studiis Liberalis Doctrinae, Informatione et Educatione Litteraria Generosorum Adolescentum [...] Tractatus* Thomas Crenius collegit (Lugduni in Batavis: ex officina Davidis Severini, 1696), pp. 227-228 (223-254).

primis incunabulis docerent. Ut id tamen accidere posset, at certe vix fidem fieri, pueros ita Latinae linguae peritos, ut eā perinde prompte ac patrio sermone uterentur, sordida dein officia exculturos quo commodius rei publicae ministraretur. Haec si cui probabilia videntur, non repugno. Ad illa venio, quae non ad privatam de genere vitae sectando fugiendove deliberationem, non ad domesticam nutricum parentumve difficultatem, sed ad summam instituendae iuventutis rationem pertinent. Non dubitabat enim Heumannus, quin eiusmodi Latine loquentium, si condita esset, civitas oppido noxia futura fuerit, quippe in qua discipulis, ne dolo dicam civibus, multa fuissent discenda non necessaria, ut in promptu essent pleraque omnia nomina animantium, herbarum, instrumentorum, utensilium, quae secure ignorarent viri eruditissimi, contentique esse possent, si talia quandoque occurrissent, adire lexicon. Denique ut omnis lingua viva sensim mutari solet, ita censebat Heumannus, Tulliopolim rem futuram esse unius aetatis, eamque, multis Germanismis sine dubio corruptam, brevi tempore in *Barbaropolim* mutatum iri.

Medium illud argumentum, de nominibus dico animantium herbarumque, parum valido tibicine suffultum mihi videtur, at praesens in tempus omittam. Postremum autem argumentum aliquam veritatis partem attingit, concedo. Fieri enim non potest, quin in omnium dierum vita, in colloquiis familiaribus, in cottidianis laboribus a contemplatione rerum magnificarum homines interdum discedant, ut vel etiam per ioca, nugas, garrimenta potissimum de rebus recentissimis loquantur, quae ab antiquitatis cultu maxime abhorreant. Nec potest quisquam hac libertate destitui, nisi in Tullianum Tullianam civitatem mutare volumus. Heic tamen in extremum deducimur periculum, ne felicitas eius civitatis nobis fiat adversa et fidem derōget consilio et instituto omni. Pervidendum enim est, quid sit, quod Latine loquentes efficiat. Summum enim periculum arcessimus, ne, cum facili ratione Latini sermonis usum consequi affectemus, eo longius a proposito recedamus, quo ad illud concitatus ferimur, si viā lapsi simus; quae ubi in contrarium ducit, ipsa velocitas maioris intervalli occasio fit. Atqui, quamvis me ipsum maximam ex usu Latini sermonis delectationem capere nullus negem, aliosque norim multos, qui Romanorum loquellam callēre studeant praesertim voluptatis causa, non possum tamen gravis hominis esse omnia voluptate metiri et adeo novam condere civitatem, ut sua voluptate libere fruatur, concedere. Graviorum enim virorum non ludicros sermones esse oportet.

Danda est nobis quidem Latinis litteris diligens opera atque etiam saepe Latine accurate scribendum, sed hoc praecipuum est propositum ac propemodum solum, ut praestantissimorum auctorum ingenia legitime deputemus et cum illis, quamvis multis iam abhinc annis mortuis, clarissimis viris dignissimisque sermonem conferamus. Quorum si consuetudinem et quotidianum usum quaerimus, cum moribus etiam sermonem imitari debemus, ne, dum virorum non mortuorum, verum penitus immortalium familiaritate uti volumus, in re publicā litteratorum non incolae, sed peregrini esse

videamur. Quodsi necessitatis causa, quo celerius alios Latine loquentes cogitata voluntatemve nostram doceamus, rectum solitumque sermonem novatis nominibus interspergimus atque proculcatis et vulgo tantum protrititis locutionibus orationem instruimus, non ideo propter hanc utilitatem lingua Latina discitur; non enim hanc praestat, sed etiam hanc, nec huic commodo laborat, sed labor eius, quamvis aliud petat, hoc quoque adsequetur. Sicut in arvo, quod segēti proscissum est, aliqui flores internascuntur, non tamen huic herbulae, quamvis delectet oculos, tantum operis insumptum est — aliud fuit serenti propositum, hoc supervēnit — sic facultas utendi sermone Latino in omnium dierum vita non est merces nec causa discendi sed accessio, nec quia delectat prodest, sed, si prodest, etiam delectat. Propterea perinde mihi videntur caligare qui interrogant, quid sit illud, propter quod linguae iam extinctae tam alacriter studeamus et qui omnem movent lapidem ut illam prope crimine purgent antiquitatis. Interrogas quid petam ex lingua Latina? ipsam. Nihil enim habet melius, ipsa pretium sui. Si quid etiam nunc exigis maius, si quid vividius, metuendum est ne lingua viva revera extinguatur usu et consuetudine, quemadmodum Muretus ille iam pridem commonefecit:

Aiunt, – inquit – Graecam Latinamque linguam iam pridem mortuas esse. Ego vero eas nunc demum non tantum vivere et vigēre contendo, sed, si in tralatione perstandum est, firma valetudine uti, postquam esse in potestate plebis desierunt. Quam diu enim populari imperio regebantur, id est, quam diu penes populum erat, ut ait Horatius, (*A. P.* 72) arbitrium et ius et norma loquendi, assidue agitabantur, fluctuabant, nihil habebant certum, nihil stabile, unum saeculum eodem vultu durare non poterant: nunc ex quo ad optimates, ut ita dicam, redactae sunt, et certis a scriptoribus petuntur, certis regulis ac praeceptionibus continentur, multis iam saeculis fixae atque immutabiles permanent. Si in vulgi potestate mansissent, hodie Ciceronem non intelligeremus: quemadmodum ne Ciceronis quidem temporibus intelligebantur ea, quae regnante Romulo aut Numa scripta erant; immo vero ipsas XII tabularum leges pauci qui intelligerent reperiebantur. Et videmus, quae vulgari lingua abhinc quadringentos annos scripta sunt, hodie non intelligi.<sup>31</sup>

Quam ob rem e duobus officiis, quorum gratia beatus Augustinus (*de Magistro* 1.2) censet locutionem hominum esse institutam, *aut docendi aut commemorandi causa*, prius illud vernaculis linguis abiectā omni cunctatione fere totum concedo. Quibus enim naturā et simplicitate utimur, ut aliis nostri animi sensus declaremus. Alterius autem officii primatum linguae Latinae dare minime dubito. Neque magis ad alios quam ad nosmet ipsos, qui Latine loquimur, commonendos usum Latine loquendi appositissimum duco. Nam, ingenue fateor, non equidem ob aliud Latine loqui diligo, quam ut me sine intermissione doceam et commoneam illustrium virorum, qui retro fuerunt, bona verba et bonis cogitationibus plena praecordia, confisus Senecae (*Ep.* 1.1.2.), qui studiorum salutarium laudandā tractatione, haec aequae Lucilio atque nobis suadet: *Probatos itaque semper lege, et si quando ad alios deverti libuerit, ad priores redi. Aliquid cotidie adversus paupertatem, aliquid adversus mortem*

---

<sup>31</sup> M. Antonii Mureti *Epistolae*: ad optimarum editionum fidem accurate editae, vol. II (Lipsiae: sumptibus Tauchnitii, 1838), pp. 160-161.



*auxili compāra, nec minus adversus ceteras pestes; et cum multa percurreris, unum excerpe quod illo die concōquas. Hoc ipse quoque facio; ex pluribus quae legi aliquid apprehendo.* De his rebus loqui, horum verba, quamvis subbalbe, repetere libet, qui non desinunt monēre, ut persevērem laudare vitam non quam ago sed quam agendam scio, et virtutem adorem, licet ex intervallo ingenti reptabundus sequar. De illorum virtute, non de meis quisquiliis dicere cupio. Quintiliano (10.1.19.), satis fido magistro, aurem praebēre non dubito: *Repetere saepius licet, sive dubites, sive memoriae penitus affigere velis. Repetamus autem, et tractemus; et ut cibos mansos, ac prope liquefactos dimittimus, quo facilius digerantur: ita lectio non cruda, sed multa iteratione mollita et velut confecta, memoriae imitationique tradatur.* Quod si ita nobis convenit, hoc ut sit propositum, inde via pendeat necesse est, ut illo vestigia caeca regat et nostros optato in tramite dirigat gressus. Si cum veteribus amice loqui nobis certum est, teneamus propositum, sequamur consilium semel initum, obfirmemus viam, quam decrevimus persequi. Omnia sane poterunt dici Latine, dummodo id conducat ad intelligendos optimos quosque auctores. Neque a salibus erit abstinendum, nam et humilibus interdum verbis et vulgaribus opus est, et quae nitidiore in parte videntur sordida, ubi res poscit, proprie dicuntur.<sup>32</sup> Omnia enim verba debent esse Latine loqui cupienti non modo nota, sed in promptu atque fere in conspectu, ut facilis ex his optimorum, cum res postulaverit, sit electio. Non est autem confundenda mira haec ex tempore dicendi facultas, cuius opes velut e sacro quodam aerario reconditae ad subitos casus proferuntur, cum inani loquacitate eorum, qui dum sibi fingunt sermonem durum, horridum Latinisque inauditum, ut prope matrem Evandri res a veterum cultu nimium quantum abhorrentes edoceant, se disertos esse credunt, cum non nisi verba in labris nascentia edant et interdum nec tria verba simul recte iungere valeant.<sup>33</sup> Quasi careamus vernaculis linguis, quae optime eiusdem pariant effectum de rebus tritis et pernotis disceptare cupientibus, ut necesse habeamus, litteris, quibus non modo liberales artes, sed etiam Romanum ius, quod quasi solum est et fundamentum legum quibus nunc parēmus, atque etiam illa ipsa divina philosophia ceteraque disciplinae omnes sunt scriptae et rerum gestarum memoria posteris prodita, despectis atque contemptis, vulgares tantum litteras, verius quidem nugas ac nenias quasdam scoriam auro praeferentes consecemur. Illud vicissim inculcandum puto, qui cum summa Latini sermonis integritate *accuratissimam rerum antiquitatis scientiam* coniunxerit, eum maximam et voluptatem e

---

<sup>32</sup> Petrarca ille, ut exemplum afferam, opusculum conscripsit *De facetiis ac salibus illustrium*, et alterum *De mordacibus iocis*. Qui autem *Facetias* a Poggio Bracciolini conscriptas legerit, non mediocre incrementum Latinitatis nitidae et sincerae sine dubio capere poterit.

<sup>33</sup> Unum ex innumeris satis sit afferre exemplum depromptum e pagina sic distincta:

<https://dodecafonnia.wordpress.com/2017/02/08/de-terra-poetarum-nautarum-cantorumque/> (consului: 01.03.20): “Omni anno, mense Februarii (*sic!*), Itali vel, ut melius dicam, maior pars eorum, post cenam televisorium accendunt (*torrentne flammis?*) ut emissionem televisificam Festival di Sanremo nuncupatam spectent. [...] Tale programma televisificum longissimum est: quinque per dies producitur, quattuor (*sic! Numeri distributivi ei, qui scripsit, nondum innotuerunt*) horas omni die.”



Latine loquendo capturum honestissimam et fructum eruditionis haud exiguum inde percepturum esse, quem cottidie cum ceteris Latine colloquendo (non enim invideo) communicet. Semper tamen est cavendum, ne ansam praebeamus iis, qui Latinae linguae studium nihil esse ad farinas rati, dum laudibus non ex animo tributis nunc Latine loquentes afficiunt, sensim atque summisse rident id secum reputantes: “Felix Corinthus, at ego sim Teneates!”

Iam quid Latine loqui dicam, habetis. Videamus nunc, id quod caput est, num qua sit causa discendi innumera paene vocabula herbarum, animantium, lapidum, ciborum, ut quodcumque in solum venit certo nomine designemus. Etenim si non aliud nobis fuerit propositum, quam ut pueri auctores Latinos quosvis discant intellegere, index omnium Latinitatis vocabulorum diligenti magistro est tali percurrendus cautelā, ut puero ediscenda seligat vocabula, quae iudicavit frequentioris esse usus, reliquis posthabitis. Quin iam diu satis ostensum est, tam pauca numero vocabula, ad multos auctores intelligendos sufficere. “Cetera quis curet? Artium scilicet et opificiorum vocabula, quae in ipsa urbe Romā vix omnes novisse credimus.”<sup>34</sup> “Equidem liberaliter fateor – inquit Heumannus<sup>35</sup> – mihi pleraque piscium, herbarum, domesticorumque utensilium nomina latina esse incognita: sed tantum abest, ut me eius rei pudeat, ut potius doctae, quam philosophi vocant, ignorantiae partem non postremam esse arbitrer.” In quo nonnihil veritatis inesse specie quidem videri potest. At ego longe aliter sum animatus. Optime enim haec se haberent, si scriptoribus legendis fere numquam reperires, quae passim lectorem obscuritate remorentur. Id, quod rarius evenit. Neque solum dico de Plinio, Columella, Celso Vitruvioque.<sup>36</sup> Quis enim, ut exemplum afferam, qui vel vulgatissima bestiarum<sup>37</sup> nomina ignoret, possit hos Plautinos versus sine taedio lexica saepissime evolvendi iucunde legere, ut non omnibus temporis punctis in cursu haereat et dubius consistat?

---

<sup>34</sup> Morhofii, *Polyhistor*, vol I, pp. 428-429. Cf. etiam Iohannis Christophori Otto, *Dissertatio de Latini sermonis usu maturius exercendo*, (Lipsiae: Titius, 1714), pp. 5-7.

<sup>35</sup> Heumanni, ‘Utopiae literatae’, pp. 101-102.

<sup>36</sup> Res est non parva, quam accurate videt Ann Roby Courtney, “Latin didactic, scientific, and technical literature,” in *Oxford Handbooks Online* <https://www.oxfordhandbooks.com/view/10.1093/oxfordhb/9780199935390.001.0001/oxfordhb-9780199935390-e-100> (cum libris ibi laudatis).

<sup>37</sup> De bestiis earumque vocibus apud veteres grammaticos sedulo investigavit Patrizia Lendinara, “Le Voci Variarie Animantium nel medioevo”, in Gianfranco Marrone (ed.) *Zoosemiotica 2.0. Forme e politiche dell’animalità*, Nuovi Quaderni del Circolo semiologico siciliano, 1 (Palermo: Edizioni Museo Pasqualino, 2017), pp. 465-478 (cum ingenti laudatorum librorum copia). De piscibus, cf. P. Gatti, ‘Nomi di pesci negli *Hermeneumata Celtis*’, in *Archivum Latinitatis medii aevi*, 64 (2006), pp. 105-121. De verbis rei medicae propriis apud poetas cf. David. R. Langslow, ‘The Language of Poetry and the Language of Science: the Latin Poets and ‘Medical Latin’’, in *Proceedings of the British Academy*, 93 (1999), pp. 183-225 et 415-436. Eiusd., *Medical Latin in the Roman Empire*, Oxford Classical Monographs, (Oxford: University Press, 2000). Hac in parte adhuc multum Romanae linguae studiosis prosunt excerpta e veteribus lexicis graecolatinis collecta et in certa capite (pro rerum generibus: de bestiis, de membris humanis, de cibis, de potionibus, etc.) a Stephano distributa: *Glossaria duo e situ vetustatis eruta ad utriusque linguae cognitionem et locupletationem perutilia* [...], Henricus Stephanus (ed.) (Lutetiae Parisiorum, 1573), c. 237-285. In interrete *Hermeneumata* multiplicia exhibet pagina cuius nomen est *Textual Bilingualism in Latin* (<https://tbl.uniupo.it/index.php> [consului: 02.03.20]).

*LEON. Dic me igitur tuom passerculum, gallinam, coturnicem,  
agnellum, haedillum me tuom dic esse vel vitellum,  
prehende auriculis, compãra labella cum labellis. (Plaut. Asin. 666-8)*

Ac paullo inferius:

*Dic igitur med aniticulam, columbam vel catellum,  
hirundinem, monerulam, passerculum putillum,  
fac proserpentem bestiam me, duplicem ut habeam linguam, 695  
circumda torquem brachiis, meum collum circumplecte. (ibid. 693-6)*

Quis sine molestia Martialem lectitet?

*Quidquid ponitur hinc et inde verris,  
mammis suminis imbricemque porci  
communemque duobus attagēnam,  
mullum dimidium lupumque totum  
muraenaeque latus femurque pulli 5  
stillantemque alica sua palumbum.  
Haec cum condita sunt madente mappa,  
traduntur puero domum ferenda:  
nos accumbimus otiosa turba.  
Ullus si pudor est, repone cenam: 10  
cras te, Caeciliane, non vocavi. (II 37)*

Quamquam, cur solos veteres memoro poetas, cum plenae totae civitates, refertissimae bibliothecae sint omnes paene innumeris operibus, quae, constantissimo saeculorum ordine Latine conscripta, quid in quaque re sit summā peritiā tradunt? In hoc enim falluntur multi, quod Latinum sermonem solum duobus tribusve saeculis cernunt circumscriptum, cum, praesertim postquam desiit unius rei publicae

loquella peculiaris et patria esse et haberi, nihil paene ingenuis studiis et artibus conceptum sit quod non etiam Latinum.<sup>38</sup> Quam multa herbarum arborumque nomina in libris Latine conscriptis occurrunt, quam multa praeterea animantium, gemmarum, lapidum, mineralium. Quae qui ignorant semper in legendo haereant necesse est et ad pulcherrimas poetarum imagines oscitent frigeantque, multa perverse interpretentur, multa denique sicco pede praetereant. “Quid igitur commendas? An rudem variarum rerum congeriem, quam pro Latinitatis scientia vendites?” Nihil ego minus. Sed plane perspicio multo latiores patere fines Latinitatis, quam ut possint solis verbis ad bellum et iura pertinentibus circumscribi, cum tot tantaque omnium fere disciplinarum monumenta sint tradita, quae nosse illarum cultorum interest, a quibus tamen propter Latinitatis imperfectam, ne dolo dicam mancam, cognitionem arcentur.<sup>39</sup> Ut enim in vita, sic sua cuiusque in disciplina, nescire quid ante quam natus sis acciderit, id est semper esse puerum. Quam ob rem multum favendum censeo alicui velut conubio Latinitatis cum aliis disciplinis, e quo multa possunt eruditionis incrementa haud temere sperari. Ideoque multum prodesse arbitror rerum verborumque coniunctionem, dummodo non veluti per saturam et indigeste, verum certā ratione viāque rerum naturae et opificum nomina discantur. Qua in re praeterea minime subsidiis caremus, cum inde ab antiquis temporibus indices refertissimos grammatici congesserint (quales in diversis *Hermeneumatum* collectionibus est videre) eosque recentiores nonnulli retractaverint pari cum eruditione et utilitate, ne memorem tot auctores qui de rebus diversissimis scripserunt ad omnem fere vitae partem pertinentibus.<sup>40</sup> Hinc enim auguror, verissimum posse responsum venire iis, qui identidem quaerunt, rectene Latinitatis studium retineatur in publicis scholis necne: commune omnium doctorum hominum patrimonium esse linguam Latinam, non eorum, qui grammaticam profitentur, dominium privatum. Non equidem iubeo veterum humanitatis monumenta proscribi, nam quamvis rerum naturam contemplari merito eximium

---

<sup>38</sup> Cf. Jürgen Leonhardt, “Europe’s Latin Millennium. From the Beginning of the Middle Ages to 1800”, in Jürgen Leonhardt, *Latin. Story of a World Language*, engl. tr. by K. Kronenberg (Cambridge, Mass.: Belknap 2013), pp. 122-244.

<sup>39</sup> Oportet enim canonem auctorum, quibus in scholis et academiis studetur, quam primum laxare et augere, ut multa scientiarum documenta Latine conscripta locum, quo sunt digna, occupent in ratione studiorum. Cf. Gianni Guastella, ‘Il latino e le gabbie disciplinari’, in Silvana Rocca (ed.), *Latina didaxis XXX. Atti del Convegno Gli stati generali del latino*, (Milano: Ledizioni, 2015), pp. 31-46.

<sup>40</sup> Ad aliquem gustum tantum capiendum libet memorare: *Antonii Musae De herba uettonica liber, Pseudoapulei Herbarius, Anonymi De taxone liber, Sexti Placiti Liber medicinae ex animalibus etc.*, edd. Ernst Howald, Henry E. Sigerist, *Corpus medicorum latinorum*, 4 (Leipzig-Berlin: Teubner, 1927), pp. 22-219; 222-225; 287-298; *Euclidis latine facti fragmenta Veronensia*, edidit Mario Geymonat (Milano-Varese: Istituto Editoriale Cisalpino, 1964); *Caelii Aureliani, De salutaribus praeceptiis item De significatione diaeticarum passionum*, in *Anecdota graeca et graecolatina II*, edidit Valentin Rose (Amsterdam: Hakkert, 1963), 226-240; *Claudii Hermeri, Mulomedicina Chironis*, ed. Eugenius Oder (Lipsiae: Teubner, 1901); *Gerberti postea Silvestri II papae, Opera Mathematica (972-1003), Accedunt aliorum opera ad Gerberti libellos aestimandos intellegendosque necessaria per septem appendices distributa*, collegit ad fidem manuscriptorum partim iterum partim primum edidit, apparatu critico instruxit, commentario auxit, figuris illustravit Nicolaus Bubnov (Berolini: Friedländer & Sohn, 1899), 518-551; *Isidori Hispalensis Etymologiae XIX. De naves, edificios y vestidos*. Introducción, edición crítica, traducción y notas por Miguel Rodríguez-Pantoja (Paris: Les Belles Lettres, 2012); eiusdem auctoris, *Etymologiae XX. Nourriture, boisson, ustensiles*. Texte établi, traduit et commenté par Jean-Yves Guillaumin (Paris: Les Belles Lettres, 2010).

habeatur, humanae tamen res homini proximae sunt. Qua ex re, nimis anguste mihi videntur egisse, qui Latinitatem finibus admodum contractis terminandam existimarunt. “At pugnancia loqueris, qui prius praecepisti solam Romanorum Latinitatem imitari, nunc vero opera in omni memoriā scripta in manus sumere suades.” Immo, eos utiles quidem esse propter rerum copiam contendo, sed Latinae eloquentiae exempla aliunde quaerenda esse confirmo. Quamquam, etiam in recentioribus haud rari sunt auctores quos admiremur, quibuscum confabulemur, qui nos meliores reddant.

## Conclusio

Verum, ut tandem finem dicendi faciam, quoniam multis iam verbis ostendi Latini sermonis non minus scientiam quam usum virum doctum decēre, hunc statuo finem, ut qui Latine loqui cupiat, singula secum expendat ingeniique sui tenuitatem cum veterum semper tanto splendore conferat memor illius ab Horatio prolati:

*Metiri se quemque suo modulo ac pede verum est.*

Multa enim loquendo addisci posse sine cunctatione confirmo, dummodo loquendi usus non per se expetatur, ut verba qualiacumque effutiantur, verum ut viam ostendat, qua altius in dies, necessitate verbum idoneum reperiendi, Latinitatem exploremus. Non illud enim praeclarum est, Latine quoquo modo loqui, verum illud *methodice* (Quintil. 1.9.1) dicere, sive etiam *probe, emendate, commode*, quod maxime in scholis consequi et possumus et debemus. Id enim Tullius docuit: *Omnis loquendi elegantia, quamquam expolitur scientia litterarum, tamen augetur legendis oratoribus et poetis. Sunt autem illi veteres, qui omnes prope praeclare loquuti: quorum sermoni assuefacti qui erunt, ne cupientes quidem poterunt loqui nisi Latine.* (*de Or.* 3.10) Qua in arte plus profecturos esse firmissime credo, qui se semper secundos et longo intervallo post summa illa veterum ingenia secuturos et credant et lenissime patiantur, ut illis idem fiat, quod nautis in pelago qui caeli sidera observant, non quod illuc pervenire studeant, verum ut itinera sua recte decernant et maria procellosa vitent. Plurimum enim proderit usus Latine loquendi si, ut Gorgias olim tragoediam, et nos eum quasi quandam fraudem sapientiae plenam esse censeamus, in qua qui decipit (sermo Latinus) iustior est eo qui decipitur (qui loqui studet) et qui decipitur sapientior est eo qui decipi non vult (Gorgias, 82 b 23 D.-K., *ap. Plut. glor. Ath.* 348c; *cfr. aud. poet.* 15d). Idem enim patietur qui decipi se sinit, quod filiis agricolae factum esse Aesopus fingit, cum thesaurum in campo quaerent. Nam agricola quidam, cum iam moriturus esset, ad se arcessivit filios suos eisque dixit, sibi nihil esse, quod illis hereditati relinqueret praeter agellum, quem ipse assidue per multos annos coluisset. In illo sepultum iacere thesaurum magnae pecuniae, sed ubi iaceret se illis dicere nescire. Post patris igitur obitum, filii per multos menses, usque ad autumnum, terram effoderunt et glebas verterunt, sperantes se

thesaurum inventuros esse. Cum autem opera eorum vana fuisset, in sulcis, quos magno labore effoderant ad thesaurum quaerendum, sementem fecerunt. Verno et aestivo tempore autem floridissimas fruges in agro videntes, intellexerunt qui esset thesaurus, quem pater moriturus promiserat. Condi autem civitatem in qua homines semper solo Romanorum sermone utantur nec fieri posse nec cuiquam prodesse cupio. Quin immo, hominis otiosissimi esse iudico. Iam enim extat haec civitas, non lapidibus extracta, verum libris contenta et bibliothecis munita, in qua omnes viri habitant excellentes, qui (ut divini Erasmi verbis utar) “orbi supersunt etiam defuncti et ita supersunt ut et pluribus et efficacius loquantur mortui quam vivi. Confabulantur, docent, adhortantur, deterrent, consulunt, erigunt, consolantur sic ut nulli nec fidelius nec paratius. Denique tum nobis verissime vivunt posteaquam sibi vivere desierunt.”<sup>41</sup> Non denique Latinam condere civitatem, verum civitate Latinitatis plus indere in nostrā firmiter oportere sentio.

Sed dum haec dico, ecce fulmen. Vereor enim, ne nimis festinanter negarim, civitatem Latinam condi posse. Aliquid enim eius civitatis simile filiulus meus, puer undecim annorum, me monuit in interrete inveniri apud

[https://www.reddit.com/r/latin/comments/9s6bld/play\\_minecraft\\_i\\_invite\\_you\\_to\\_join\\_my/](https://www.reddit.com/r/latin/comments/9s6bld/play_minecraft_i_invite_you_to_join_my/)

in qua pagina legimus:

“Play Minecraft? I Invite You to Join my **Latin-Speaking Town**

Salvete, Caeso sum, princeps urbis Fortunae, et vos invito ut in urbe habitetis. Hic villas aedificare potestis, nobiscum Latine loquentes.

Hi, I’m Caeso (in-game), co-owner of the city of Fortuna, and I invite you to come live in the city. Here you can build villas while practicing Latin with us.

Fortuna is part of the Around the World Minecraft server, and has existed on the server for over two years. We have seen many Latin learners of different levels come and go, and we are looking for more active players to continue developing the city. To join, use the server IP aroundtheworldmc.net and travel to the coordinates x: -1000, z: 2500. Then, contact someone on the Latin section of our server’s discord or contact me with /mail send Caeso in-game to be added to the city.

Once here, you can easily immerse yourself in our Roman-themed town where everything is labeled in Latin. We have communal farms, plenty of land to disperse for housing, and ample resources to quickly get new players on their feet. **To maintain citizenship we require that you continue to learn Latin, build a**

---

<sup>41</sup> *Ep.* 396, Allen II, p. 212, 33-36.

**house in the city, and respect local and server authorities.** At the moment we have 2-3 active Latin speakers with whom you can engage in conversation, and a few more who show up less frequently.

We hope to see you soon!”

Abiit vetus tempus; mutata ratio est. Hoccine iuvat? Per me autem licebit omnino, ut

*trahat sua quemque voluptas!*

agosto@pul.it